

ipforum nominibus ut supra omne præceptum omnemque monitionem, condemnationem, sententiam, & mandatum, quæ, & quas præfati iudices de præmissis omnibus, & singulis contra eosdem, & quemlibet eorum, & bona prædicta facere, & ferre, ac promulgare voluerint, & his, & aliis sponte acquiescendum, nec non submittendum, & resubmittendum propterea eosdem, ut supra pro præmissis attendendis firmiter, & inviolabiliter observandis, & adimplendis jurisdictioni prædictarum curiarum, & cuiuslibet earum, & generaliter ad omnia, & singula dicenda, facienda, gerenda, & procuranda favore dictæ executionis, quæ in præmissis, & circa præmissa cum dependentibus ecc. dantes ecc. promittentes mihi Notario stipulanti ecc. sese semper, & perpetuo habere, & tenere ratum ecc. relevantes ecc. Quæ omnia, & singula dictæ partes singula singulis congrue referendo promiserunt, & tactis corporaliter scripturis ad sancta Dei Evangelia in manibus, & ad delationem mei Notarii infra scripti jurarunt attendere, complere, & efficaciter observare, eaque omnia fore fuisse, & esse vera, ac perpetuo firma, rata, & grata habere, dictosque suos procuratores non revocare, donec præmissa omnia, & singula fuerint observata, & adimpleta sub obligatione honorum ipsorum Agentium pro jam dictis communitatibus, ac particularium personarum, ut supra, ac refectione damnorum, de quibus supra renunciantes in præmissis omnibus, & singulis exceptioni, doli, mali, vis, metus in factum, actioni conditionis indebiti sine causa, rei que non sic, sed aliter gestæ simulationis, fraudis, erroris, cessionis bonorum, præsentisque contractus sic ut supra non celebrati, seu plus, vel minus fuisse dictum, quam scriptum, beneficioque absolutionis a juramento prædicto, & ipsam absolutionem non petere, & impetrata non uti, ac beneficiis epistolæ Divi Adriani, ac novæ constitutioni de pluribus reis debendi privilegiis, feriis, franchisiis, moratoriis, salvis conductibus, rescriptis, gratiis, & aliis quibusque tam introductis, quam introducendis, ac decretis indultis tam editis, quam edendis. De præmissis omnibus certificata partes ipsæ ut asseruerunt verum esse, ac omnibus aliis exceptionibus, clausulis, & cautelis, ac omni alii juri, & legum auxilio, quo, vel quibus contra præmissa, seu aliquod contra præmissorum facere, vel venire possent, seu quælibet ipsarum posset, & se tueri, ac solemnitatis ordinis iudiciarii prætermittæ, cui etiam expresse renuntiaverunt ecc. Et inde de præmissis omnibus, & singulis prædicti Agentes jam dictarum communitatum Aquarum, & Bistagni rogarunt instrumentum mihi Notario infra scripto cum clausulis, & cautelis in similibus apponi solitis, & consuetis dictamine sapientis si fuerit expediens roborandum.

Ego Joannes Augustinus Riccius civis Casalis publicus Imperiali auctoritate Notarius ecc.

*Conventio de Decimis Rochetta Pelasæ.*

M D L X I I.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MDLXII., indictione V., die vero Veneris XXVI.

mensis decembris. Actum in civitate Aquis in Episcopali palatio cum sit, & fuerit quod ab annis duodecim in citra versa fuerit lis, & controversia, & adhuc pendeat indecisa inter mensam Episcopalem Aquensem mediantibus procuratoribus ejusdem ex una, & Communitatem loci Rochettæ Pelasæ, hominesque illius tam nobiles, consulares, consules, vel syndicos, quam etiam dicti loci particulares in, & super decimis, & primitiis prædictæ mensæ Episcopali alias debitis, & solutis. Et propterea prædicti nobiles viri fuerint multoties excommunicati in eo forsan errore ducti, ut jureconsultorum consiliis in eo Communitatem ipsam traherent, in quo particulares dicti loci nunquam descendere a primitiis excogitassent. Hinc est, quod nuperrime volentes, ut Christianos viros decet vitam vivere, & inter sedis Apostolicæ militantis catholicæ Ecclesiæ matris pientissimæ greges reverti, & aggregari, suas, communitatis, omniumque particularium, & singulorum capitum familiæ preces coram Rev. D., & Patre D. Fauno Costaciaro Episcopo Aquensi suppliciter præsentaverint, & ab eo uti pio Patre in primis, & ante omnia absolutionem pro singulis quovis modo dicti loci hominibus hanc ob causam excommunicatis, contritis, & poenitentibus humiliter implorarent, offerentes hoc decimarum, & primitiarum onus erga modernum Episcopum, ejusque successores, mensamque Episcopalem perpetuis successivis futuris temporibus in communi subire, dummodo ad aliquam justam, & honestam summam saccorum quantitatem primitias, & decimas prædictas reduci contingat. Super quibus cum mature inter prædictæ communitatis procuratores ex una, & mensæ Episcopalis procuratores, Reverendumque modernum Episcopum ex altera maturatum fuerit, operaque communium amicorum cognitus fuerit decimarum, & primitiarum valor, qui saccorum duorum frumenti parum aut excederet, aut deficere potuisset singulis annis, & frumentum præmissum in loco Rochettæ passim, & ubique per nuncios Curie Episcopalis quolibet anno exigeretur, id nunquam sine impensis mensæ Episcopalis factum fieri; & aliquando ob nonnullorum inopiam duorum saccorum summa vix exigi potuerit, licet aliis quoque crebris temporibus in exactionem excesserint. Tandem ad concordiam partes præmissæ devenerunt ob causas præmissas, ut Reverendissimus pro tempore Aquensis, mensaque Episcopalis duobus sacchis frumenti ad mensuram loci Rochettæ, boni tamen puri, & mercantilis, habeant in futurum singulis annis in die decimaquinta mensis augusti esse contenti, incipiendo a mense augusti proxime venturi de anno MDLXIII. salvo etiam, & reservato jure in perpetuum mensæ Episcopalis, & Episcopis nedum præsentis, sed omnibus annis in futurum successoribus pro jure præmissi decimarum, & primitiarum dicti loci tantum. Cum igitur consules videlicet Henricus Duma, & Antonius Faconus a legitimis procuratoribus prædictæ communitatis in causa prædicta de præmissa tractata concordia relationem habuerint, generale concilium vocari fecerunt, & etiam singula domorum capita more solito dicti loci, & omnia ut supra dictum est, publice, & palam proposuerunt; &